



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1859**

IX. Der Rath zu Soldin stiftet eine Elendengilde, am 12. Oktober 1326.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55359)

## IX. Der Rath zu Soldin stiftet eine Gendengilde, am 12. October 1326.

In nomine domini amen. Que geruntur a viris prudentibus, ne aliquibus possint calumpniis attemptari, litterarum solent testimonio perhennari. In cognitionem ergo presencium et memoriam perveniat futurorum, Quod nos consules civitatis Soldynensis ex matura deliberacione, vnanimi quoque consensu nostrorum civium, felicem attendentes commutacionem esse temporalium in eterna, de bonis temporalibus, que nobis deus contulit, hic in terris eternum nobis fructum in celis decrevimus providere ob spem illius retribucionis, que promittit celestia pro terrenis. Hac igitur racione commoniti pro suffragio omnium animarum advenarum et ampliacione divini cultus et pro remedio animarum omnium parentum nostrorum et pro salute propria vxorum quoque nostrarum, dictauimus, Excogitauimus, adiuuimus et ordinauimus fraternitatem advenarum, In honorem dei et matris sue gloriose, a qua emanauit plenitudo totius gracie et salutis auxiliante nobis gracia spiritus septiformis, Subscriptis tamen condicionibus obseruandis, vt omnium animarum advenarum et omnium in dicta fraternitate existencium et in ipsa moriencium in altari advenarum parochialis ecclesie soldynensis, a vicario eiusdem altaris, Infra missarum sollempnia habeatur memoria sempiterna. Omnes eciam hanc fraternitatem affectantes et sibi ipsam comparare volentes et in eadem existere ac stare cupientes pro duobus modis brazei, videlicet vno triticeo et reliquo modio ordeaceo et duobus solidis brandenburgensium denariorum et cum vno talento cere ipsam sibi procurabunt. Item fratres seu provifores dicte fraternitatis vicario seu presbitero, prescripto altari advenarum deferuenti, omnibus et singulis annis unum talentum brandenburgensium denariorum erogabunt ex denariis fraternitatis memorate pro ampliacione et melioracione eiusdem vicarii fructus, et ut dictus presbyter seu vicarius altaris prehabiti eo melius et competencius poterit sustentari, cuius quidem talenti idem vicarius medietatem in festo beatorum apostolorum phylippi et iacobi, Reliquam vero partem in festo Martini percipiet atque tollet. Propterea presfatus presbyter aut vicarius quicumque etiam fuerit, prenotato altari deferuens et ministrans, omnibus et singulis secundis et quartis feriis missas decantando pro defunctis obseruabit et in diebus precedentibus vigiliis legendo adimplebit, Et in dictis duabus feriis infra missarum sollempnia memoriam publice faciet in altari sepedicto omnium animarum advenarum et nominatim omnium, qui in ipsa fraternitate obierunt. Item in duobus festis prenotatis, videlicet in festo philippi et iacobi apostolorum beatorum et in festo beati Martini Episcopi, supradictus presbyter seu vicarius, quicumque fuerit in vigiliis ipforum festorum ante dictum altare advenarum, vesperis dictis et completis cum suo scolare, vigiliis decantabit et in diebus pretactis missas pro defunctis celebrabit, Et infra missarum sollempnia in altari sepe dicto omnium animarum advenarum memoriam publice faciet et omnium in eadem fraternitate moriencium memoriam et expresse, vt superius est expressum. Eciam si fratres eiusdem fraternitatis advenarum plures scolares prescriptis vigiliis interesse voluerint, hos suis denariis appreciare tenebuntur. Item addicimus, quod omnes tam viri quam mulieres in prenotata fraternitate existentes infra missarum sollempnia duorum dierum prefixorum in parochiali ecclesia esse debeant aut vbicumque fratrum eiusdem fraternitatis memoria peragetur, donec omnia ibidem facienda integraliter compleantur, sub pena et emenda trium solidorum brandenburgensium denariorum minus vno denario, nisi rationabilem causam seu excusacionem quisquam habere potuerit abessendi aut de iussu vel licencia suorum magistrorum defuerit speciali. Item quandocunque et quociescunque aliquis ex narrata fraternitate viam ingressus fuerit carnis vniuerse, omnes in ipsa fraternitate existentes, tam viri quam

mulieres, eius sepulture sub pena VI denariorum interesse tenebuntur, nisi rationibus jam scriptis absens se poterit expurgare. Item nullus fratrum prefate fraternitatis dicta missa et funere sepulto debet abire, nisi prius audierit, si aliqua fuerint facienda aut tractanda siue recitanda suis a magistris, nisi de licencia abierit speciali. Item quocumque et quocumque congregacio seu conuocacio facta fuerit fratrum prescriptorum et si aliquis in ipsa conuocacione seu congregacione verbis aut factis exceßerit, talis excessor tres solidos brandenburgenfium denariorum minus uno denario erogabit suo pro excessu. In huius rei evidens testimonium et robur perpetuo valiturum Nos consules ciuitatis Soldynensis presentes litteras conscribi fecimus et sigilli jam dicte ciuitatis roborauimus munimento. Actum et Datum Anno domini Millesimo Trecentesimo XXVI<sup>o</sup>, Dominica proxima ante Galli et Iohannis confessorum beatorum.

Auf der Rückseite: Illi fuerunt inceptores et inventores atque primi dictatores huius fraternitatis advenarum, arnoldus bernsten, arnoldus faber, nycolaus de grüneberg, hen. wildenow et thydericus, notharius ciuitatis, presentis Editor atque scriptor.

Nach dem Originale im Besitz der Stadt Soldin.

X. Markgraf Ludwig befehnt Heinrich von Bellingen mit Besitzungen in Giesenbrügge, am 25. Juni 1333.

Anno domini M. CCC. tricesimo tertio, in crastino beati Iohannis Baptiste, in Lippen. Contulimus Heinrico de Bellingen et petro, eius filio, sex frusta denariorum et nouem frusta in Gyfenbruke villa, sub antiquo iure, quo marchio woldemarus sibi dicta bona contulit.

Aus einem Copialbuche des Geh. Staatsarchives (I. C. 4 in quarto).

XI. Markgraf Ludwig befehnt Miniko von Piritz, Heinrich Münch und Eckard von Kirgow mit dem halben Schulzenamt zu Soldin, am 31. August 1333.

In vigilia beati Egidii Contulimus Minikoni de Piritz, Heinricho dicto Münch, Eckardo de Kirgow et eorum heredibus, ciuibus in Soldin, medietatem officii scultetatus siue prefecture ciuitatis predictae cum omnibus suis pertinentiis, Juribus tamen nobis in eodem competentibus omnimode reseruatis.

Aus einem Copialbuche des Geh. Staatsarchives (I. Cod. 4 in qu.).